

III. Promissiones bonorum corporalium intelligendae sunt exceptione crucis et castigationis, et ne bona corporalia rapiantur nostris consilijs sine vocatione.

Quid est peccatum?

Peccatum est quicquid est contra legem Dei. Vel peccatum est defectus vel inclinatio vel actio contra legem Dei offendens Deum et commovens iram aeternam, nisi fiat remissio propter Filium mediatorem.

Quae est prima diuisio peccati?

Peccatum aliud nominatur originale, aliud actuale.

Quid est peccatum originale?

Peccatum originale est reatus propter Adae lapsum et propter priuationem lucis diuinae et firmae agnitionis Dei in mentibus hominum et [44:] propter auersionem voluntatis a Deo et propter contumaciam cordis, quae mala secuta sunt lapsum Adae in natura hominum, et sunt inimicitiae aduersus Deum et damnata a Deo.

Quid est peccatum actuale?

15

Peccatum actuale est omnis actio pugnans cum lege tum in mente vt dubitationes de Deo tum in voluntate et corde vt incendia malorum affectuum tum in membris externis vt externae actiones pugnantes cum lege Dei.